



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Dissenus Diserinus, Bergens. n. 18 [i. e. 19]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

Scholasticis nostris honestissimis. A meridie Collegium inuisit, nunquam passus per Urbem à latere suo P. Rectorem abscedere. Spectaculum sane tam ingratum Hereticis, quàm Catholicis iucundum. Et ad viros nobiles, ceterosque Urbis Magistratus, qui eum adfectabantur conuersus; Isti, inquit, sunt Patres Societatis, à quibus mores, & litteras hauisse me fateor, quorum industria ac labore ciuitates Gallix nostræ viris pijs muniantur, ac doctis. Et multa eiusmodi, quæ sine rubore, neque tunc à nostris audiebantur, neque nunc à nobis referri possunt. Ita in *Annal. Soc. ann. 1602. fol. 382.*

Quorum  
industria,  
ac labore  
ciuitates  
viris pijs, ac  
doctis mu-  
niantur.

Erga eos  
Diserini li-  
beralitas.

19. A GISSENO DISERINO, Consule Senatus Bergensis, qui strenuè in fundationem Collegij nostri semper incubuit: & cum in Collegij fundamentis non nemo diceret, excedi terminos, Consul ipse respondisse fertur, Isto in ædificio nullos sibi præfixos limites, & si qui forent, modum sese excogitaturum transgrediendi, cum probe sciret quanta Urbis, agrique Bergensis in Societatem iam tum esset obligatio. Sic ille apud *Imag. 1. sec. Soc. lib. 6. fol. 758.*

Societas  
Catholicam  
fidem, he-  
roicis, &  
frugiferis  
laboribus in  
Paraquaria  
propagauit.

20. \* A IOANNÉ DE LIZARAZV, Regio Conciliario, & Regij Senatus Argentini in Peruuo dignissimo Præside, in Edicto, mensè Iulio anni 1636. promulgato in hæc verba. Quoniam Maiestas Regis Domini nostri (quem Deus seruet) plurimis schedulis iussit, & fanciuit, vt Indi huius Orbis indigenæ protegantur, & defendantur in causis, quæ se se illis offerunt: & quoniam singulari ratione conuenit id fieri, & obseruari in Indis recens conuersis ad nostram sanctam fidem Catholicam, quam quidem sacra Religio Societatis IESV, heroicis ac frugiferis laboribus, propagauit in Prouincijs Paraquariæ, & in oppidis S. Ignatij, & Itapuano: in fluminibus Paranensi, Vruguayensi, & Iabebirino, & in Prouincia Itatinorum, quorum protectionis, ac defensionis ratio habenda est, quia cum benigne tractati fuerint indemnes, & illæsi, facilius, & firmiter quidquid ad suam conuersionem pertinet sint amplexuri. Quapropter cum mihi planè comper-